

juriam simulantes et illi compatientes miserunt quosdam de fratribus, ut ob reverentiam monasterii ipsum redderent, eo quod familiaris eorundem monachorum esset. Illi autem obturaverant aures suas et deprecationem humilium spernentes, inanes et vacuos predictos remiserunt fratres. Postea captivum suum diligentissime observaverunt et custodierunt atque in cippo crura ipsius strictissime et artissime concluderunt, ponentes milites, qui nocturnis horis ipsum custodirent, et unum specialiter illi deputaverunt, qui ei precipue adhereret et curam ipsius ageret. Magnum ergo sue pietatis et bonitatis inditium divina virtus in eo ostendere dignata est, non tantum propter ipsum sed multo magis propter alios sibi forsitan cariores, sicut in subsequenti auditis. Nam cum sopori omnes se dedissent et tempus dormitionis advenisset, ille cum ceteris obdormivit, sed multo felicius et dulcius pre ceteris, cui Dominus talem visionem ostendere dignatus est. Illi dormierunt somnum suum et divitias, quas quesierant, minime invenerunt. Isti autem in visione nocturna apparuit visio mirabilis et valde preclara. Nam domina quedam speciosissima et omni gratia plena, quam non aliam fuisse credimus, quam illam, de qua canitur: ¹⁾ 'Ista est speciosa inter filias Ierusalem!' scilicet beatissimam virginem Mariam. Hec enim ait ad captivum servulum et in cippo jam positum: 'Quid', inquit, 'hic agis? et quare hinc non recedis?' Et ille: 'Quomodo', inquit, 'recedere possum, cum in isto trunco artissime sim constrictus et crura mea sint colligata ita, ut vix movere me valeam?' Et illa benignissime ad hoc respondit: 'Ex quo legatos Eberacensium monachorum isti contempserunt, ego te propter eosdem monachos meos nunc absolvo et abire concedo'. Hec cum dixisset, visio disparuit et ille statim evigilavit et ammiratus vehementer expavit, quod talia viderit. Cumque dolorem in cruribus minime sensisset, sicut prius, cepit contrectare ipsa crura et tibiam et penitus ²⁾ ipsum lignum in quo erat positus sublatum, exclamavit voce magna et dixit: 'Lignum non comparet, in quo constrictus eram et colligatus diligenter considerate et videte, quis illud subtraxerit et abstulerit'. Illi autem excubitores et custodes putabant, quod in somnis talia diceret, increpabant eum, ut taceret. Ille vero multo magis clamabat, quia, 'compedes sublatae sunt, in quibus me tenuistis, secundum illud: 'Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cecos'. ³⁾ Cum ergo iterasset clamorem, et suam sententiam confirmaret, ulterius custodes dormire non poterant, sed diligentissime considerantes et explorantes ita factum esse, sicut dixerat. Cum autem dies illuxisset, truncum, in quo captivum suum vinxerant, extra castrum projectum invenerunt ipsumque domno Eberacensi sine precio direxerunt,

1) Cant. cant. 1, 5. 2) sentiens? oder es fehlt ein Wort, wie auch unten nach explorantes. W. 3) Psalm 145, 8.